

EPISTOLA

tua; & hoc alterum cum Nilo commune habet : quemadmodum enim ubi primum se propalam revelat , fundit cum fragore ac fremitu aquas supparens ingentioribus Fluviiis , ita statimatque Majorum tuorum nomen in Annalibus antiquis legitur , inclarescit junctum cum fama gravida jam & tumida ex rectè factis undique recensitis. Illicò & deinceps si quid in faciendis & solvendis obsidiis , si quid in hostibus frangendis aut fugandis , si quid pro Patriis Legibus retinendis memoria dignum est , eorum omnium ἐπιχειρημάτων τε ἢ κατορθωμάτων tuus aliquis Antenatus vel author , vel promotor , vel ductor , vel tandem pars magna fuit . Quare si Rami Laurei , quos tot Prosapia tua Heroës è manu Victoria acceperunt , potuissent terra committi & virescere in arbores , jamdiu Sylva esset , quæ spatiosas solitudines obumbraret .

Sed parum adhuc esset , EXCELLENTISSIME DOMINE , Genus tuum dedisse Hispaniis tot Martes , nisi Regibus earum dedisset pares numero Salomones , per quos in capessendis consiliis scirent quid esset optimum , & hoc decernerent : sicque prisca illa Gens tua